





*19*

1778,7.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**VITAE BENE ACTAE  
PROBATIO SIT DEFENSIONIS  
INCULPATI ARGUMENTVM**  
QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIET. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO  
IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE XXIII. OCTOBR. CLOCCCLXXVIII  
DEFENDET  
**IOANNES SAMVEL MESCHKE**  
LVCCAV. ALTENB.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA





A N

VITAE BENE ACTAE  
PROBATIO SIT DEFENSIONIS  
INCVLPATI ARGVMENTVM.

---

§. I.

Est sententia, quam fere omnes defendunt,  
defensionem esse *iuris naturalis*. Concedo, si  
de naturali illa defensione, quae quocon-  
que modo, etiam armis fieri potest, intelligis: sed si de  
artificiosa illa defensione, quam inquisitorius Processus exi-  
git,

## IV

git, sermo: licet illius concessio nitatur praecepsis iuris naturalis, forma tamen in ciuitate pender ab artificio et doctrina. Cum autem nititur praescripto aeternae legis; omnino adfirmandum, nemini denegandam esse ipsam defensionem, quoties se grauatum putat. Inuenit itaque eruditorum sollertia regulas, ad quas defensiones formari atque elaborari debent. Non transcribo illas regulas, quas docti viri elegantissime exposuere collectas. Prouoco ad communem Iuris criminalis patrem CAROZOVUM, GRANTZIVM, THOENICKERVUM, HEILIVM aliasque. Ex tot regulis, vnicam examinandam sumamus: videlicet, solent in elaborandis defensionibus plerumque defensores multum operarum atque laboris impendere, qui monstrant, eum qui indicis exortis inculpatus existit, vitae genus honestum, mores integros ac bonos semper seruasse atque bonam famam prae se ferre, nec non apud omnes honestos homines bene audire. Videamus, an talis Panegyris inculpato scriptus quidquam ad eius defensionem et liberationem efficiat?

## §. II.

Iam Romanis non incognita videtur fuisse ratio defensionis in enarranda vita rei accusati. Sedeabant enim in subcelliis defensorum praeter defensores et Aduocatos, seu eos, qui grauissima sua praesentia tantum adiumento atque praesidio erant reo, etiam laudatores, qui rei vitam atque merita in rempublicam referebant, quasi conciliaturi iudicium benevolentiam, vt propter merita et benefacta non tantum quid indulgerent reo, sed comparatione inter merita et delictum, propter quod accusatus, instituta, reum absolu-

soluerent. Forsan hic mos nostratisbus etiam dedit occasio-  
nem, argumenta a laude inculpati desumpta pro eius defen-  
sione petere.

§. III.

Solent ergo defensores vitae inculpati describere ra-  
tiones, iino memini, me in defensionibus legisse non tan-  
tum recensionem educationis, laborum susceptorum, et ge-  
storum, verum etiam pietatis atque religionis mentionem  
attestationibus clerico firmatam, quod sacra coena vissus  
suo tempore sit semper comparuerit deuotus atque reli-  
giosus. Videtur hanc morem implicite probare ORDINAT.  
CRIMINALIS Art. XXV. in verbis: *Ob es eine dergleichen  
Person, zu welchen man sich der Misfethat versetzen möchte.*  
Putant interpres, posse ex anterioris vitae rationibus con-  
iecturam fieri: an probabile sit, ut inculpatus delicti habeatur  
autor. Neque desistuntur haec interpretatio fundamento  
omni. Qui enim iam delicti alicuius plus vna vice conui-  
ctus, potest contra eum oriri suspicio, si denio eiusdem  
generis delictum commissum, quippe qui semel malus, ex  
communi prouerbio *semper habetur malus*. Hinc recte  
etiam si articuli inquisitionales formantur primum generales  
ad vitae antea actae historiam concipiuntur, quod utique  
legibus consentaneum est. Concludunt itaque ex praesumtione illa, ex qua quilibet in dubio bonus praesumitur,  
si vitam, antequam in delicti commissi suspicionem incidit,  
honestam egit atque bonam famam habet, contra indicia  
illa grauanta ex bonitatis praesumptione absoluendum esse  
inculpatum. Et sane nostro iure praesumptionis huius effe-  
ctum quodammodo suffulcire videntur *Erörterung der  
Lands - Gebrechen d. A. 1609. §. 5.* et maxime MANDAT.

## VI

ELECT. *Wegen des Verfahren in Untersuchungs-Sachen d. d. 27. Oktb. 1770. §. 3.* Vbi ita ordinatum: Und unter andern auch zuförderst wegen seines seitherigen Lebens-Wandels, Aufenthaltes und getriebenen Gewerbes und Nahrung, weshalb außerdem amoch Erkundigung einzuziehen und davon Nachricht zu denen Acken zubringen, umständl. zu befragen etc.

## §. IV.

Quamvis vero concedam *Nemesis Carolinam* postulare, vt iudex eo respiciat, vtrum in personam cadere possit suspicio, seu talem esse personam zu welcher man sich der Misserthat verschen möchte, tamen a me impetrare non possum, vt putem, tuto aliquid ex vita antea gesta semper recte concludi posse, siue honesta probaque fuerit, siue turpis et famosa. Et sane, si ex anili illa ratione, quod is, qui semel malus, praefundus sit semper talis, indicium contra aliquem concipiendum esset, quale auxilium respublica expectaret a poenis? Habent enim poenae interdum etiam eum finem, vt corriganter et emendent. Tolleretur hac infelici probatione finis hicce poenarum, ac si nunquam poena corrigere hominem posset. Infligerentur itaque poenae improbe, scientes, ex praesumptione illa defuturum effectum. Docet praeterea experientia, hominem improbe et turpiter viventem interdum illata poena excitari, vt vitae emendatoris iter inchoet, neque in eam delabatur iniustitiam, ob quam commissam antea poena fuerat adfectus. Sunt quidem adeo frontis durioris interdum homines, vt omnis in iis castigatio atque poena effectu destituatur, sed hoc facti est, adeoque probandum, non vero praesumendum. Amplius cum turpitudinis et iniustitiae variae species cogitari possunt,

sint, potest contingere, ut quis turpem agat vitam improbosque habeat mores, contra quem tamen commissi delicti suspicio moueri nequit. Conice hominem avarum, cui profecto nulla turpitudo tanta esse videtur, ut eam non committeret, si suae cupiditati satisfacere posset. Erit fraudator, erit usurarius, forsitan et periturus, si lucrum exinde expectet: quis concludat tuto, eundem fuisse furem vel latronem, si tale commissum delictum, quasi suae auri argenteique cupidini satisfecisset.

## §. V.

Quae cum ita sint, facile patet, vitae turpioris genus per se plane nihil facere posse ad imputandum alicui delictum, sed alias adesse debere circumpositas causas, ex quibus contra personam conjectura sumi potest. Hinc videatur Carolus in *Ord. c. l.* proprie non respexisse ad vitae genus morumque turpitudinem tantum, sed ad circumpositas causas, ex quibus vel probabile vel improbabile, imo haud raro impossibile habendum, quem delictum imputatum commisisse. Sit quis eius farinae, ut de omni homine male loquatur cuiusque famae vim inferat, an inculpabis recte eundem famosi libelli fore autorem scriptoremque, nisi prius scias, eundem haud esse ἀνθρώπον. Et quo iure imputabis cui, qui venere et libidinibus deditus, stuprum, de quo apparet, esse eundem impotentem. At vero negari nequit, si aliae concurrunt suspicionis causae, faciliorem delicti imputationem excitari posse, si vitae turpitude et morum dishonestas cum delicto imputando habet adfinitatem.

## §. VI.

## VIII

## §. VI.

At vero! quid dicamus de vita bene antea peracta, an haec profutura sit ad excusandum reum a delicto, et an bonitatis ex LL. desumta praesumptio sufficiat ad defendendum exculpandumque inculpatum. Ut supra memini, prope vniuersalis est defensorum consuetudo, vt si quae in laudem inculpati dici probarique possint, dicant atque adferant: An recte: videamus. Profecto, sicuti turpis vitae genus per se nunquam argumentum suspicionis est, ita vita honesta ante acta solum nunquam liberabit inculpatum ab imputato delicto. Aut enim adsunt contra personam aliquam, haec tenus honeste viventem, indicia eundem delicti alicuius commissi grauatoria: aut nulla suspicionis alicuius argumenta. Posteriori specie per se tutus est, ex formula: *In Mangel einiges Verdachts.* Priori causa ex indiciorum qualitate res iudicanda. Si enim remotissima tantum et generalia maxime indicia adsunt, et is qui parum honeste vixit, vix inculpari poterit, eo tutior erit is, qui recti sibi conscientia vixit, vt contra eum nihil suscipi possit, nec eger probatione vitae antea bene peractae cum deficiant sufficientia indicia. At vero, si indiciis proximis aut specialibus grauatus, nihil proderit vita antea acta, nec liberabit ab imputationibus, si imputationis causae satis probatae. Quis enim dubitat, et eum, qui emendatoris vitae est, posse tamen interdum eo delabi, vt delinquat. Habet enim quis homo ad peccandum delinquendumque in se proclivitatem, quae hominibus est communis imperfectedio. Affectus, animique passiones imo *ro* animale, quod in omni homine apprehenditur, interdum suppressum rationis iudicique vsum,

vt

vt optimus quisque facile ad delinquendum incitari pos-  
sit. Quomodo ergo vitae bonitas excusationi erit  
delinquendi?

## §. VII.

Ne vero omnem vitae antea bene actae effectum nege-  
mus, puto, distinguendum praecipue, utrum confessio aut  
conuictio delicti adsit, atque defensor vel poenae remissio-  
nen vel mitigationem quaerat exposita vita inculpati  
honesta: vix quidquam efficiet illa defensio. Sit Ca-  
ia per decem annos femina honestissima a tempore pu-  
bertatis computandis: vndeclimo se a viro ad adul-  
terium committendum seduci patitur: quid proderit  
vita ante honeste acta, quam adulterando violavit, cui-  
ve delicto suam leges statueret poenam, in quam con-  
demnanda. Index enim nec durior, nec mitior legi-  
bus esse debet; sed probato vel confessio delicto, secundum  
leges pronunciat. Secus vero est, si supplicando adeat prin-  
cipem, ut beneficio aggratiandi vel abolitione crimi-  
nis inculpato seu inquisito ex sola gratia subueniat;  
tunc putem non inutile fore, si in literis supplicibus  
vitae antea bene gestae mentio atque probatio adseratur,  
quo ad misericordiam principem commoueat, qui ius  
habet, rigorem legum temperandi atque dispensandi  
quiique delictum abolendo quasi haud factum declarare  
potest.

\*\*

## §. VIII.

§. VIII.

Non minus a iudice potest exigi, ut vitae antea bene actae rationem habeat, si variis grauaminibus suspicio commissi delicti excitatur. Hinc HEILIUS in Process. Inquis. Cap. III. §. XXVIII. ponit: *Imo elitis indicis ulterius studeat defensor, ut modo integratam et famam inquisiti deducat.* Effici hoc modo putat: *ut ulterior inquisitio cesse, idque eo facilius, quo magis index in ambiguo haeret,* videlicet: an sit persona in quam cadere possit suspicio. Sed si de vita antea bene acta agimus, non simul conditionem vitae comprehendimus, mediaque, quibus suam quaeſuit inculpatus vel inquisitus sustentationem vitaeque subsidia. Ex his enim, sicut indicia contra reum formari possunt, utpote, si nihil laboris agat vel negotii gerat, et nihilominus pecunias copioſe expendat; ita eodem modo pro exculpando reo multa ex vitae conditione defumti possunt. Vnica ergo de moralitate et pietate inquisiti nostra intelligenda sunt, de quibus disputauimus. Quamuis enim veriſimum est, hominem virtutibus ornatum non minus ac eum, qui quae Sanctissimo Numini debet officia impler, haud facile atrociter delicturum, et si forſan peccet, culpa magis, quam dolo peccaturum tamen nihil haec me mouent, ut aliquid tribuam argumentis a vita honestiori et pia antea geſta defumti. Causam si quaerimus, facillimum erit, eandem exponere. Quis enim est, qui ignorat, multas interdum hominum actiones speciem virtutis prae ſe ferre? Quot sunt, quos piissimos in DEVm crederes, qui quaecunque sunt religionis ceremoniae, ſedulo ac studioſe omnes peragunt, qui plane nihil loquuntur, niſi de sanctitate interna, de timore Dei, de cura ſalutis aeternae. At si animi cogitata

cogitata in utroque cognoscere posse, quantum utriusque abescent a scopo, hic a vera pietate, ille, a vera virtute. Concludo itaque, cum et honestatis atque vertutis et verae pietatis iudicium a nemine expectari potest, quam ab aeterno NVMINE, qui maxime absconditas nostras cogitationes perspicit, iudices vero nostri vel ex aliorum sententia et erronea saepissime opinione, vel ex signis externis fallacissimis, imo interdum ex factis, quorum primas causas iudices ignorant, quaeque vitiosissimae et improbisissimae sunt, iudicia ferre debent; omnem inquisitorum defensionem a vitae honestate atque pietate deponitam vel plane nullum, vel exiguum defendendi remedium posse praestare, neque iudicem in iudicando ad eam inquisito scriptam saepe panegyrin respicere posse, potius indiciorum et probationum qualitatem attendere atque secundum haec iudicare debere.







TAZOL

V<sub>1</sub>  
18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



11  
1778,7.

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
**VITAE BENE ACTAE  
PROBATIO SIT DEFENSIONIS  
INCULPATI ARGUMENTVM**  
Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIET. LITER. DVISBURG.  
S O C I O  
IN AVDITORIO IVRIDICO  
DIE XXIII. OCTOBR. 1778  
DEFENDET  
**IOANNES SAMVEL MESCHKE**  
LVCCAV. ALTENB.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA